

1 Sic lib. tertio
Annal. recipi
Caesar inter
reos venit. pa-
lam aspiciant
te Arcio Capi-
tone, quasi per
libertatem. nō
enim debere
enim patribus
vim statuendi,
&c.

2 Edicto non
semper iubetur
sed etiam inter-
dum monetur
populus. sic. li.
4. histor. addi-
turque S. C.
quo sanctum
plebs in edictis
admonetur.

3 Seneca epist.
91. Quaedam le-
ges nō tantum
imperant, sed
decent.

vsurum, vel cum periculo offensionis. ^a Ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres, corpus ad rogam ^b humeris senatorum ferendum. Remisit Caesar adrogati moderatione, populumque edicto ^c monuit, ne, vt quondam, nimis studiis funus diui Iulii turbassent, ita Augustum in foro potiùs, quàm in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio steterunt: multum inridentibus, qui ipsi viderant, quique à parentibus acceperant diem illum crudi ad huc seruitii, & libertatis ^d improspere repetitæ; cum occisus dictator

OBSERVATIONES.

a Hoc demum est deterrimum & exquisitissimum genus adulationis, atque adeo illud, quo se-
pissimè vtuntur ij, quos principes suis consiliis intimos habent, vt dicant, etiam tum, cum maxime
adulantur, se in eis, quæ ad remp. pertinent, nullius vti consilio, nisi suo, i. nullius auctoritate
adduci posse, vt eam de rep. sententiam dicant, quæ non sibi optima videatur, vel cum periculo of-
fensionis, quam se non pertimescere egregie simulant. Hinc & illud notandum est; Vt enim senatorem,
seu consiliarium dici eum, qui non ad cuiusquam voluntatem loquitur, sed qui nulla re, ac ne præ-
sentia quidem principis, magnòque offensionis periculo deterreri potest ab dicenda liberè sententia iis
de rebus, quas reip. maxime expedire arbitrat.

b Ad solennes funeris caeremonias pertinet, vt corpus honoratorum humeris efferatur.

c In moderatione deprehenditur interdum arrogantia.

d Cum respub. priùs libera in vnius potestatem concessit, etsi is, à quo est oppressa, merito tyrannus
appellari, ac in re trucidari videtur posse, videat tamen is qui id facinus cœperat, quid inde assequi
respub. possit. Si enim sublato tyranno, libertas reuocatur, illa cædes, ex qua tam insigne bonum ori-
tur, non nisi præclara, reique pub. salutaris videri potest. Quod si, inextempto tyranno, futurum
est, vt, non de libertate, sed de principatu inter potentiores certetur; neque tanta lis, non nisi luctuo-
sissimis bellis, atque atrocissimis reip. cladibus dirimi potest, adeo non modo non libera resp. sed ne
illa quidem, nisi lacera, miserèque distracta futura est, certè tali re, ac tempore, tyrannum, reique
pub. statum ab illo constitutum, cuiusmodi tandem ille est, omnino ferre præstat, quàm inanibus li-
bertatis illecebris in maximas perturbationes publicæ rem conuicere, & libertatem imaginariã, i. quæ
verè tunc nulla esse potest, improspere repetere. in hac sententia fuit sapientissimus Seneca, cuius verba
hic referã, vti sunt li. 2. de benefic. cap. 20. Mihi enim inquit, de M. Bruto loquens cum vir magnus
fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione stoica se egisse; qui aut
regis nomen extimuit, cum optimus ciuitatis status sub rege iusto sit; aut ibi sperauit libertatem futu-
ram, vbi tam magnum præmium erat & imperandi, & seruicendi; aut existimauit ciuitatem in
priorem formam posse reuocari, amissis pristinis moribus; futuramque ibi equalitatem ciuiliu iu-
ris, & statuas suo loco leges, vbi viderat tot millia hominum pugnantia, non an seruirent, sed
vtri seruirent, & que sequuntur. Sic & Tacit. lib. 2. historiar. Nam rebus modicis, inquit, equali-
tas facile habebatur, sed vbi subacto orbe, & emulus vrbibus, regibusue excisis, securas opes concu-
piscere vacuum fuit, prima inter patres, plebemque certamina exarsere. modo turbulenti tribuni,
modo consules præualidi, & in vrbe, ac foro tentamenta ciuiliu bellorum. mox è plebe infima
C. Marius, & nobilium sanissimus L. Sylla victam armis libertatem in dominationem verterunt.
post quos Cn. Pompeius occultior, non melior. & nunquam postea nisi de principatu questum, &
que sequuntur. Denique huc illud referri debet, quod verissimè idem Seneca scriptum reliquit. Cn.
Pompeius, inquit, eò redegit remp. vt salua esse non posset, nisi beneficio seruitutis, de benef. lib. 5. ca.
16. Idem epist. lib. 2. epist. xiiij. Quid tibi vis, inquit, M. Cato? ita non agitur de libertate: olim pes-
sumdata est. Queritur verum Caesar, an Pompeius possideat Remp. Quid tibi cum ista contentione?
nullæ partes tuæ sunt; dominus eligitur & c. noster item Tacit. lib. primo histor. postquam, inquit,
bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad vnum conferri pacis interfuit, & c.

Caesar